



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Cultu Sacrosancti Cordis Dei Ac Domini Nostri Jesu Christi

Galliffet, Joseph de

Romae, M.DCCXXVI.

Exercitium laudis & adorationis ad Cor Jesu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45817)

quam enim in cultu nostro, affectum animi sequi præstet, quam formulæ cuiusdam scriptæ scrupulosius adhærere: tamen ejusmodi formulas ad exemplum & imitationem apponere consultum semper visum est.

*Exercitium laudis & adorationis ad Cor JESU.*

O Cor Jesu divinissimum, hominum atque Angelorum adoratione dignissimum! Tu, æterno Verbo indissolubili nexu conjunctum. Tu, summi Dei verum Cor: ipso Deo dignum: Dei sanctitate sanctum. Divinæ bonitatis, charitatis, misericordiæ vere participes: cujus omnes affectiones & sensus infinitæ Dei majestati condignas esse necesse est. O Cor ineffabile ac vere incomprehensibile, infinitis laudibus infinitisque obsequiis merito prosequendum! Tu, virtutum omnium origo. Tu, donis omnibus cœlestibus cumulatissime ditatum. Tu, bonorum omnium fons inexhaustus. Tu, æternæ & increatæ charitatis dignissima sedes. Tu, sola victima divinæ justitiæ digna: iræ divinæ placandæ sola potens ac sufficiens. Tu unum, amore divinæ bonitatis ipsa digno, arsiisti: in te uno demum sanctissima Trinitas super omnia sibi complacuit. Tu, Ecclesiæ necessitatibus mira dispensatione providens, charitate multorum refrigerante, eam hoc tanto munere ditare voluisti, ut amoris thesauros in te reconditos, in eos qui se tibi devovere vellent, effunderes. O me fortunatum! Quem tua licet indignum misericordia harum tamen divitiarum participem



pem esse voluisti: cognitionem tuorum mirabilium infundendo, meque ad cultum tuum alliciendo. Ad te igitur supplex accedo, O Cor millies adorandum! Tu, me, justissimum laudis & adorationis tributum tibi debitum, deferre conantem adjuva: atque in devotorum tuorum numerum adscribi ardentem cupientem admitte. Ecce infinitam tuam dignitatem & excellentiam pronus agnosco. Te quam possum demississime veneror & prostratus adoro. Verum quum plane sentiam, te, vilibus affectionibus meis, pro dignitate honorari nequam posse; ut impotentiae meae quoquomodo & quoad licet suppleam, laudes & honores tibi ab omnibus Angelis & Sanctis in caelo delatos offero. Majus etiam aliquid, ac te dignius deferre audeo: videlicet Cor immaculatum Mariae, quod unum ad te colendum praeter omnibus ceteris aptissimum est. Affectiones ergo meas omnes hujus sanctissimi Cordis affectionibus conjungo: hocque fretus adjutorio ac societate me tibi totum offero, meaque omnia tuae gloriae penitus consecro. Tu vota clemens exaudi, ac perfice. Amen.

*Exercitium amoris ad Cor JESU.*

O Cor amantissimum Jesu, adorandis Filii Dei perfectionibus, amabilissimas Filii hominis perfectiones ineffabili modo conjungens! Tu, cordium omnium nobilissimum, generosissimum, latissimum, liberalissimum, magnificentissimum; simulque mitissimum,